

ditur in *continuum* et *discretam*. Quantitas continua proprie dicitur *extensio*.

Æternitas. Interminabilis duratio tota simul existens.

Æternitas absoluta. Quae tria essentialiter excludit, *principium* nempe, *finem* et *successionem* durationis in existendo. Solius Dei est.

Æternitas relativa, seu hypothetica, seu participata. Illa quae non excludit a subjecto principium existendi, seu habere existentiam ab alio, sed *posito* quod talem existentiam acceperit, talis naturae est ut ex se postulet in accepta existentia *sine fine perdurare*, neque possit eadem existentia privari nisi ab omnipotentia Dei absoluta. Hujusmodi sunt substantiae spirituales creatae, angeli nempe et animae humanae.

RELATIO. Habitudo, seu respectus unius entis ad aliud. Ita *paternitas* et *filiatio* sunt relationes. Relatio est *realis* vel *logica*, *creata* vel *increata*, *mutua* vel non *mutua*, *transcendentalis* vel *praedicamentalis*.

Conditiones ad relationem requisitae. Quod habeat: 1o *subjectum reale*; 2o *terminum reale*; 3o *fundamentum reale*. (Nomine *fundamenti* relationis intelligitur causa seu ratio, ex qua emergit in subjecto relatio ipsa; sicut *generatio* est causa cur relatio paternitatis homini tribuatur); 4o quod subjectum et terminus relationis realiter inter se distinguantur.

Relatio realis. Illa quae est inter res independentes a mentis consideratione. Talis est relatio inter causam et effectum, patrem et filium.

Relatio logica. Illa quae viget inter res sola mentis consideratione et comparatione. Talis est relatio inter laurum et victoriam.